Apelli
Girardi
Rouilli
Mattenila
Gambari
Ptolomai
Prolegomen
Iuridica
7:

4726

li
rdi
lli
ulæi
bari
nici
omenta
dica
X:

N° ~~14079~~

XV^e Siècle. N° ~~[illegible]~~ 726

La dernière pièce seule
est incunable.

Table des ouvrages contenus dans ce Recueil

1° Joannis Apelli methodica dialectices ratio ad Jurisprudentiam accommodata. pag. 1.
2° Carolus Girardus Castilionensis de Juris voluminibus repurgandis. pag. 63.
3° Guillermi le Rouille Alenconiensis justitiæ et injus=titiæ descriptionum Compendium. pag. 87.
4° Claudii Mallevillæi definitionum Civilium liber pag. 124.
5° Laurentii Claricini Gambari in juris institutiones præfatio &c. pag. 145.
6° Ejusdem expositio prœmii institutionum Civilium qua primam Reipublicæ quasi formam expressit pag. 165.
7° Claudii Ptolemæi Senensis de corruptis verbis juris Civilis dialogus pag 176.
8° Tabula abbreviaturarum pag 190.

MAZARINE · BIBLIOTHÈQUE

# Claudii Ptole
# maei Senen. ꝺ
# corruptis ver
# bis: iuris ci
# uilis dia
# logꝰ.

117

Desportes

## ¶ CLAVDIVS PTOLEMAEVS SENEN. GABRIELI CAESANO SVO SALVTEM.

CVM Per hoſce ęſtatis calores nonnulla ex bonaruꝫ literarum diſciplinis leniter tractaremꝰ: incidimus (nec ab re q̄dē) in eum ſermonem/ ut q̄tum inter ueteres illos iuriſcōſ. & recētioris ſeculi legum peritos interſit (citra cenſuram tamen) iudicaremus. Vbi cum ego interdiſputandum/ barbare locutos hoſce interpretes noſtros adfirmarem: rogaſti me illico/ ut nonnulla de his quādoq; perſcriberem. Quod onus quidem (libet uera loqui) recuſaſſeꝫ mi Gabriel/ ſi licuiſſet. Naꝫ neq; ego is ſum qui Momi hęres uideri ueliꝫ: nec ſi uellē/ is ſuꝫ q huic rei me parē credam. Verum non potui (faceſſat adulatio) homini doctiſſimo & amiciſſimo ſimul quicq̄ negare. Feci igitur: & id quodcūq; operis fuerit (ita p ſancte iuro) intra biduū abſolui: illudq; omne tuo rogatu. In quo Iaſonem & Angelum Politianum introduxi diſputantes: homines quidem & grauitate: & eruditione precellentes: Quo magis eſſet & autoritatis & ſplēdoris in ſermone/ imitatus Ciceronē in Catone maiorē. Q ꝺ ſi tibi hęc parū erudita uidebūtᷣ/ ne quicq̄ uereor: malui enim a te deſiderari prudentiam meā: q̄ officium. Vale ergo & lege.

# ¶ CLAVDII PTOLEMAEI DE COR RVPTIS VERBIS, IVRIS CI VILIS DIALO GVS.

IASON. POLITIANVS.

IAS.

QVID EST Hoc mi Politiane/qđ librum illum/quaſi multum faſtidires/in humum ꝓieciſti? Nuƺ fortaſſe bonas horas in lite/raꝝ ſtudiis ĩpendiſſe te pœnitet? POL. Minime ꝓrſus male cogitaſti: quandoqdẽ nõnullos dies/in ue/ſtris hiſce cõmẽta/riis contriuiſſe/non poſſum non pœnitere. Debueraƺ enim eo tempo/ris uel ex Ariſtotele/uel ex Cicerone/aut id genus ſcriptoribus quicquam legere/quod ad frugem me/liorem conduceret. Nam hoc modo perdidi (quod aiunt) operã & impenſam. IAS. Sunt igitur ea quę legebas ex noſtro (ut dici ſolet) grege? Miror ꝑfecto quo pacto ea tibi nuper non placeant. Cum alias renunciatum fuerit te iuriſconſultoꝝ/ne dum ſtu/dioſum/uerum & acerrimũ defenſorem eſſe. POL. Belle narras/cum hoſce ineptos interpretes/antiquę

iuriſconſultoꝝ puritati/quaſi aquilę noctuam/com/
parare non uereris. Illi latine pure/eleganter: iſti
barbare/mendoſe/ſordide loquntur/illi concinna
quadam breuitate cuncta explicabant/iſti maxima
uerborum ambage uix ſibi ipſis conſtant: illi ueram
germanamq; iuſtitiam ſequebantur/hi nec umbram
quidem. Illi ex ęquo bono/quo facilius quęſtioni fi/
nis poneret/reſponſa dabant/iſti per minutas cap/
tiones ea ſolum proſequũtur/quę ſunt alimenta litiũ:
dum alter alterum aucupãdę laudis gratia/aut num/
morũ potius/arguat/refellat/improbet/& fere totũ
uellicet. Quo fit ut una eademq; opinio per multoꝝ
manus ad nos tranſmiſſa/millies reprobata/compro
bataq; fuerit. IAS. Atqui nõ facile patiar Politiane
quę cum conuicio in noſtros dixiſti. Atq; illud in pri
mis quod eos barbaros & ineptos uocas: nam ſi pure
& latine iuriſperiti loquebantur/ipſos etiam pure &
latine loqui neceſſe eſt. Mutuant enim iuriſconſ. illis
& uerba/& ſententias. Atq; (ut interim de me lo/
quar) ſcio noſtros probari cõmentarios: ut romanã
puritatem redolentes. Ego enim cũ grãmaticas inſti/
tutiones/tum eas omnes quæ ad oratorem ſpectant
non ſine aliqua fruge perlegi. Ea propter/illa apud
homines de me concepta eſt opinio/me non ſolum
inter iuris ciuilis claſſicos eſſe conſpicuum/uerum &
inter humanioꝝ literaꝝ regios non eſſe aſpernabilẽ.
POL. Noui me hercule nuper/qđ ais/te oratorem
eſſe: Conaris enim ea mihi perſuadere quę omnino
falſa ſunt/quod plerunq; (neq; enim diffitebor) eoꝝ
proprium eſt. Verum non ſatis egit tua oratio/neq;
enim/ut inquunt/puluerẽ in oculos offudiſti. Quod
ſi ęquo eris animo/audies longe aliter loquentẽ Po
litianum. IAS. Immo loquere/ut libet. Nam ſi lo/
queris/ut Poeta/mentieris: ſi ut Orator/blandieris ẽt

ex profeſſo . POL . Ergo loquar ut Philoſoph⁹ latinę
linguę non indoctus: & hação artium non imperitus .
IAS . Multa noſti : quid rurſus ? POL . Ego quidem
Georgium Merulam / Domitium / Ioannem Picum
Hermolaum Barbarum / Hyeronimum Donatum / ut
eruditos homines / atq; optimos oratores / a doctis
pleriſq; laudari iampridem audiui / te uero niſi hodie
laudatū nunq̄ cognoui . Q̄ð ſi multos mihi obiicies
diſcipulos: & leguleos / a q̄bus ſine fine fortaſſe com/
mendaris / tunc mihi defenſionem illud parat qð dici
ſolet: inter indoctos etiam Coriduȝ ſonare . Nouiſti
enim illud / ſi tam belle ſapis : qð græcorū prouerbio
circunfert̃ / purpurā eſſe iuxta purpurā diiudicādam .
Cęteꝝ illud magis miror / ſi grāmaticen ita p̱callebas :
quo pacto ex ore id effluxit tuo / mutuaſſe uobis iu/
riſconſultos / & uerba / & ſententias / cum mutuatos
uos eſſe a iuriſcon . & uerba & ſententias / dicendum
ſit / ſi recte loqui uelimus : qð non debebas ignoraſſe
Iaſon: tam & ſi Honorius ueſter ĩ imperatorio codice
parum ſuo conſulens honori ſuper hoc plus nimio
errauerit: quod apud ueros puroſq; autores non reci/
pitur . IAS . Nunc ego te doctiſſimum puto : non
enim ob eam cauſam ita illud uerbum protuleram
quod eius formā neſcirem / ſed ut explorarem / an tu
quoq; / alioquin uir doctiſſimus / ſuper eo errares / ſup
quo non parū multi miſere lapſi ſunt . Verum ( qð
dicit̃ ) fruſtra teſtudo leporē ſequit̃ . POL . Peracute
quidem / non enim hos metuebam caſſes . Sed quis
rogo hunc dolum texuit ? iſtum enim cauillū : te nunq̄
cogitaſſe: tu etiam / ut plane puto / fateberis : qui tam
mala fide eſſe non crederis / ut hoc pacto me doloſe
decipias . Sed in poſteruȝ illud a te peto / ne ſi nolim :
cogar errata tua reprehendere / uiciſſimq; concedo ne
ob id credaris indoctus / qð errores meos non argue/

tis . IAS . Vt libet/id tua gratia pactum ſit. Verum ne de calcaria in carbonariam decurriſſe uideamur : illud rogo Politiane/ut interpretes noſtros Bartholũ inq̃ Baldum / cęteroſq; alios : appellare ita barbaros deſiſtas/aut ſi tibi (fortaſſe nimis Momo placuerit) id mihi aliqua ratione oſtẽdẽdũ puta : Quãuis enĩ autoritati tuę multum cõcedam/tamen ex eorum ſuʒ genere:qui ea magis credã:quę ratione probata ſunt. Explana ergo noſtroꝝ interpretũ ſordes:ſi uis plena fide in tuam ſententiam nos ducere : quæ fortaſſis phenice/ut dici ſolet/erunt rariores . POL . Recte ſapis/nam alterutrum a me fieri oportere iure opti/mo arbitraris:neq; enim ita de me ſentio : ut credaʒ ſatis quenquam tueri opiniones noſtras : ſi dicat : (ꝙ Pythagorei obſeruabãt) ipſe dixit . Verũ Iaſon utrunq; eorum difficillimum puto . Nam nec poſſeʒ hoſce cõmẽtarios latinos uocare/ nec me ad enarrandas eorum ineptias aſtrinxero . Quandoquidem/ſi romane eos loquutos affirmarem/cum maxime turpe mihi eſſet:tum etiaʒ animi non ingenui. Quo circa prius ſiluas habitabit delphin/ & fluctus aper /q̃ ego hęc dixerim . Rurſus ſi uelim omneʒ eorũ barbariem enarrare/quis modꝰ dicẽdi foret/quis finis ſermonis? Nec enim aliud agerem:q̃ ſi uellem litoris harenas: aut maris ũdas metiri. Tu/ſi unq̃ illas numeraſti: ad hanc rem lõge eris me aptior . Adde etiam:ſi placet: ꝙ fruſtra hoc onus ſuſciperẽ Iaſon / nam ſi ſordidis quibuſdam leguleis hæc ego uelim enarrare/inſane quippe operam perderẽ . Non ſecus q̃ ſi aquam /ut multi dicunt/in mortario tunderẽ . Nam quos non non potuerunt optimi illi iuriſconſ. docere/ minus ego me hercule docerem . Sunt enim hi homines ex his qui / ſiniſtra nati Minerua/ uerborum puritatem non agnoſcunt:non aliter q̃ ſi ſus/ut dicimus/ tubaʒ

audiret. Et quaſi ex ęgrotorum genere ea plurimum aſpernantur quę ſunt illis ſalutaria. Atqui ſi tibi hęc oſtendenda putarem / inhumane nimium facerem: illud enim in me torq̃ri poſſet/ q̃d dici ſolet. Aquilā uolare: Delphinum natare doces. Nam cum tu humaniorum literarū non ſolum non ignarus: ſed etiã apprime ſis peritus: quod nuper cum tuo arbitratu: tum etiam re ipſa in uno uerbo preclare oſtendiſti: iniuſte equidem ſentirem / ſi uellem ea te docere / quæ ſunt tibi iampridem notiſſima: quapropter ſi placet: hoc onere me leuatum uelis. IAS. Immo nolo neq; enim (ſi modo quicquam poterunt preces noſtræ quas profuturas ſpero:) hinc prius diſcedes Poli/tiane / q̃ aliqua de his diſſeram⁹: quod ſi hæc pleriſq; ex noſtris minime faciunt ſatis: mihi cane / ut dicebat ille / & iuriſcõſultis. Nam q̃ de me poſtremo dixiſti facile patiar / nec eniȝ a uiro laudatiſſimo ita laudari non gaudebo. Non tamen illud conceſſero ut nolim doceri. Nam ſi ſenex Auguſtinus ãniculi pueri non aſpernabatur doctrinam: quanto ego magis a te uiro omnifariam eruditiſſimo edoceri cupiam? iccirco ne uereare: neq; enim ita ſum improbi ingenii ut uelim te omnia uno faſce complecti. Sed utcunq; placuerit deſiſtes: ſi modo me aliquorum / q̃ tua eſt humanitas / prius ſubmonueris. POL. Non poſſuȝ tibi non morem gerere: quapropter in hiſce hortis ſub illa uirentis lauri umbra conſideamus: quæ nos ab ęſtuanti Pyroi calore defenſos faciet. Et iam Sol de/currēs meridiei circulū longe trãſegit: iccirco nõnulla ibi ptractabimus / quoad tardior hora nos ad cęnam reuocet. IAS. Vt placet: nihil enim hybernis ſolib⁹ nihil ęſtiua umbra mihi gratius. POL. Non poſſum equidem negar̄ q̃ politiores offendat aures impolita hęc uerboꝝ ſeries. Verū duo ſunt q̃ doctos oẽs ma/

gis magiſq̨ contorquent : alterum ꝙ hi cottidie cum ſuis iuriſconſ. uerſantur: die noctuq̨ eius reſponſa legunt/atq̨ euoluunt: ab eorum tamen loquẽdi genere tantũ diſtant/ quantũ Ganges (ꝙ dicũt) a gadibus : quaſi nihil eorum unq̃ legerint/ aut uiderint. Cumq̨ ſemper per eorũ ora/pulcra iuriſconſ. reſponſa ptranſeãt/ nihil eis magis hęret: q̃ ſi i cloacas aqua ꝺcurrat. Omnia enim recipiunt/ nihil retinent. Alterum (& id quidem magis mirum) ꝙ cum a peritis uiris plerunq̨ ut latine loquantur moneri ſolent: illiſq̨ oſtenditur quo pacto plane recteq̨ loqui poſſint: hi tamen non ſecus q̃ ſi aconituꝫ offeratur effugiunt: imitantq̨ priſcos illos primi ſeculi homines: nam cum antea (rebus non dum compertis) herbis & glandibꝰ ueſcerentur: poſtmodum fruge inuenta: & carniuꝫ eſu: adhuc tamen nonnulli ita perditi fuerunt ingenii/ut mallent glandibus q̃ carne ueſci: Igitur nõ aliter iſti faciũt: qui optima eruditioꝝ pręcepta aſpernati/ tũc demum ſibi blandiuntur/ cum barbare/atq̨ ſordide loquti ſunt. Quo fit ut alter alterũ magis intelligat: quaſi balbus balbum/ut dici conſueuit: unde non minus bonoꝝ opera perdi ſolet: q̃ ſiquis ęthiopem uelit dealbare: IAS. durum quippe: & impudicum/ ſi ita eſt/uerum proſequere: atq̨ id clarius oſtende. POL. faciam quidem tuo rogatu/dũmodo illud ſcias/nolle me/ut multi aiunt/omnia uaſaria excutere. Verum pleraq̨ ſatis fuerit: atq̨ ea quidem nullo ordine: & interſpiratione dicendi quadam: nam ut protinus locum aliquem memoria repetam: expoſuiſſe non grauabor. Neq̨ enim inordinatus eorũ ſermo/ ordineꝫ emendationi poſtulat. IAS. Ergo iam incipe totis labiis: ego nec pugillares habeo/nec tabellas: ut quę dixeris ſignem notis: ſed/qꝺ dolet/neq̨ exceptorem hic uideo quẽquã. Ea ꝑpter memoria utar. POL. Ego

qdem nõ

qdem nõ tam peto a uobis ut eloquẽter (qñ materia hęc nõ magnopere patitᷣ) q̃ ut latine loquamini. Naꝫ (ut p̃clare inqt Cicero) latine & plane loq nulla eſt uirtus: nõ loq uitiũ. Sꝫ hi nõ ſolũ eloq̃ntiã nõ obſer/uarũt: uerũ & cãdidã Latini ſermonis ueſtẽ diffrege/rũt: ut tu (ſi/ut puto/nõ male ſentis) ſine cõtrouer/ſia cõcedes. IAS. Equs ero iudex: tu incipe. POL.

1 ℭ Primũ illud occurit qđ paſſiꝫ in cõmẽtariis ueſtris uocatᷣ poteſtatiua conditio: nullo autore: cum potius ex Triphonio: Vulpiano: & cęteris/ debuerat cõditio q̃ eſt in arbitrio uocari. Res q̃dẽ magis clara q̃ demonſtratione egeat.

2 ℭ Rurſus qs eſt q̃ſo ueſtrũ q nõ dicat alternatiua cõditio: & ĩ alternatiuis? cũ ex uſu iuriſperitoꝝ diſiũctiuã cõditionẽ: & in diſiũctiuis oporteat dicere/ ut in multis locis. Aut ſi magis placet: alternata & in alternatis dici põt ut ſemel apud Vulp. in. l. cuius caput eſt quę ſub cõditione ſub tit. de cõd. inſt. lib. dig. xxx.

3 ℭ Hoc me admonet/ut illud dicã/ ꝑperã uos oẽs titulꝰ uocare/leges illas q̃ ſunt ſub titulo. Naꝫ cũ titulꝰ dᷣ: nihil aliud purᷣ loq̃ntibꝰ ſignificatᷣ: q̃ id qđ rubricã appellatis. Iccirco legẽ ẽe ſub titulo nõ in titulo dicẽdũ eſt: ut ẽt iuriſcõſulti ſolẽt. Ita Paul. lib. dig. l. ita Vul. lib. iii. tãetſi Vulp. locus mẽdoſe legatᷣ: ubi .n. dicit: abſq̄ titulo: ſubſtituẽduꝫ eſt ex archetypis libris/ quos ego ſępe lego/ſub titulo.

4 ℭ Vocatis ẽt ſępiſſime textũ/ ꝓ ꝟbis legis/nullũ ſequti autorẽ/ q̃to purius eſſet ſi uerba legis diceretis/ ꝓut plerịq̄ oẽs iuriſperiti ſolent.

4 ℭ Quid q̃ſo mõſtri ẽ qđ dici ĩter uos cõſueuit? Allegat literã: uel ibi eſt bona litera/dũ tñ de lege ſentit: an ẽ ignotũ apud uos/literã ſingulari numero elemẽtũ: plurali uero epiſtolã ſignificare? nihil q̃dẽ inſulſius, nihil inuenuſtius.

6 ¶ Neq; multũ mihi placet/ ꝙ caput legis/ legẽ uocatis: qñ dicitis/ exẽpli loco in.l.ſi heres. Neq; uos apud me neceſſitas excuſat: fortaſſe qđ freti eſtis eo grecoꝝ adagio: q̃ monemur/ cũ neceſſitate nec qdẽ deos pugnarẽ: Nã ſatis cõmodẽ dici põt i.l.cuiꝰ caput/ uel initiũ ẽ: ſi heres. Teſte.n.Cicerone. Satius eſt ꝑ plura ỽba explicatius loq/ q̃ ꝑ pauciora imꝑfectius/ quod ergo de.l. dictũ eſt: idem de quauis paragraphe ſentimus.

7 ¶ Nõne & illud: maxime uos đlectat qñ aliquẽ baſtardũ dicitis? pulcraſq; inter uos ſuꝑ eo q̃ſtiones ꝓponitis. Cũ ſi ad ueſtros iuriſcõſ. aduerteretis/ aut naturalem filiũ: ſi ex cõcubina: aut alias ſpuriũ appellare oportebit: aut fortaſſe uulgo q̃ſitũ: baſtardũ aũt nullo modo/ qđ uerbũ lybetrhiis eſt/ ut dici ſolet/ inelegantiꝰ.

8 ¶ Apud Bartolũ/ quẽ Apollinẽ uocatis/ ueſtroſq; alios ſępe bãnitũ: ex exbãnitũ legi: uerbũ qdẽ apud eos maximũ & tremẽdum: qđ tñ/ ut ſexcẽta alia/ eſt đ uulgi fece hauſtũ. Nam nõ ita loqunt̃ q linguã habẽt eruditã: ut ueſtri illi iuriſcõſ. nam aut exules uocãt/ aut meliore uocabulo ꝓſcriptos: qđ & imperator obſeruauit in titulo illo đ bonis ꝓſcriptoꝝ/ in ſuo codice.

9 ¶ Neq; illud eſt ſilẽtio prętereũdum ꝙ in ueſtris libris ſępe legit̃: ſeruitus habẽs cauſam cõtinuã/ & diſcõtinuã: qđ ſi pure loq uolumus/ ita dicẽdũ ẽ/ ſeruitus q̃ habet certã cõtinuãq; poſſeſſionẽ: & ſeruitus q̃ nõ habet certam continuamq; poſſeſſionem. Imitati Paul. iuriſcõ.lib.dig.vii.ſub titulo de ſeruitutibus.

10 ¶ Sed illud me magis offendit ꝙ ꝑ re docta nimiũ: & erudita inter ſacra effertis/ uſumfructũ aliũ formalẽ: aliũ cauſalẽ. O q̃ ſibi blãdit̃ ille q hoc didicerit. Sʒ ꝓh Iuppiter q̃ miſere hi labunt̃ inter monſtra: cur q̃ſo illud uobis nõ placet: qđ uſurpãt: uĩri đ literis benemeriti/ dum dicũt. uſũfructũ aliũ ꝓprietati cõiũctũ: alium a proprietate ſeparatum?

11 ¶An ēt nō arguemus qđ uos ī ꝯtariū đferre ſoliti eſtis:
nos in orcū? Dū quadā oris maieſtate dicitis: deceſ/
ſiſſe ticiū ab īteſtato: cur ēt illud nō dicitis: bibere illū
ab inteſtato: & ambulare ab īteſtato? Qđ ſi recte qs
loq nō faſtidit: imitet̄ Vulp. & cęteros q inteſtatū euꝫ
deceſſiſſe dicūt: nō ab inteſtato: ſuccedit.n.qs nō de/
cedit ab inteſtato.

12 ¶Nō poſſuꝫ ęquo animo pati qđ nō raro apud ueſtros
legi: dū.n.illi qſtionē quāpiā/ad ſuū iudiciū uolūt re
ferre/ꝑ pulcro: elegātiqꝫ uocabulo illud ꝓferūt. Vi/
deri meo: rē ꝓrſus nō fuſtibus/ſed flagello dignam:
niſi fortaſſe aliquē iuriſconſ. ita loqntē uiderint. Tu
ſi meliore es memoria: dic Iaſon: ſi uſquam ea uerba
apud illos legiſti. Naꝫ đ me liber̄ polliceor nō uidiſſe.

13 ¶ Sed audi nouū mōſtrum: ꝙ nec Hercules ſuperaret.
Guerrā inqūt quaſi nuſq̄ apud iuriſc. bellū legerint.

14 ¶Cōiūctū ꝓximū ꝙ illi aliud eſt: nō minus me hercule
glorioſum: treguā ſępius pleno ore ꝓferunt: & in ſuis
cōmētariis/aureo fortaſſe calamo ꝑſcribūt: homines
qdem nulla digni miſeratione: quādoqdē apud Pau
lū iuriſc. lib. dig. xlix. uiderint ꝙ ipſi treguā uocāt: ab
eo latino ꝟbo inducias uocari/ qđ ſi apud Accurſiuꝫ
legiſſent: non ita profecto aſpernati eſſent: in cuius
uerba ita miſere iurauerunt.

15 ¶Quotus quiſqꝫ eſt ex ueſtris q laudū non dicat: ꝟbum
qdem nulla dignū laude: et/quod dr̄/ obelo cōfoden
dū. Atq cōſulāt iſti/q tā belle ſibi placēt/iuriſc. ſuos:
nihil minus ꝓfecto apud eos reperiēt: illi.n. arbitriū:
arbitriqꝫ ſentētiā uere/atqꝫ emēdate appellant: niſi hi
fortaſſe/emēdatū ꝟbum impurum uocant.

16 ¶Deterruit me cū libros hoſce euoluerē: portētū illud
apud uos in delitiis habitū. Cōtratabulare teſtamētū
dicitis. Qđ uocabulū mortuoꝝ: an uiuoꝝ ſit neſcio:
planeqꝫ exploratū illud habui/qđ ſępe dici ſolet/urſuꝫ

habẽs/ueſtigia q̃ris. Nam cũ luſcioſi homines plenoſ habeãt tractatus q̃bus dicit petere quẽq̃ bonorum poſſ. cõtra tabulas: uile tñ extraneũ/ & barbarũ uocabulũ ſibi cõfinxere.

17 ¶ Tumet ẽt & illud quodã faſtu inter cętera: nouũ q̃ppe uerbũ. Suitas inq̃ũt. Quiſnaꝫ q̃ſo iuriſc. hoc uſus eſt? Nũq̃d Paulus/ aut Papinian⁹/ uel cęteroꝝ q̇ſpiã? Qui ab his (ex Cęſaris ſentẽtia) ut a ſcopulo cauent. At dicẽt illi nõ poſſum⁹ alio pacto explicare niſi cõficto ꝟbo. Sed uideãt hi q̃ſo (ſi modo uidet ſciũt) nũq̃d aliud ipſi dicũt q̃ iuriſcõſulti? An fortaſſe nouũ aliq̃ inuenerũt/ ut oporteat id ſuitatem uocare? Perlegãt Gaiũ iuriſcõ. q̃ iura ſuoꝝ heredũ uocat li. di. xxxviii. A quo tñ neſcio an tu abſtinueris Iaſon.

18 ¶ Appellari a minor iudice ad maiorẽ crebra eſt apud uos loqutio. Sed q̃ emũctę ſunt naris/ aliter dicunt: appellari a minore iudice maiorẽ. Appellat. n. princeps/ nõ appellat ad principẽ: q̃d cũ in multis locis: tũ apud Vulp. lib. dig. xlix. pſpicue apparet/ ſub tit. q̃s & a quo appell. Quod ſi quãdoq̃ ꝑpoſitio ad iuncta reperietur/ temere eaꝫ appoſitã ex ſcioli alicuius audacia ne dubites.

19 ¶ Qui trebellianicã dicũt/ hi plurimũ apud leguleos in honor ſunt habiti/ quaſi nõ nihil diuinũ intra ſe illud uerbũ cõtineat: quãto melius ſi falcidiã dicerẽt/ ut nõ pauci iuriſc. uel ſiquid magis ꝓprium appetũt/ quartã ex trębelliano ſenatuſcõ. uocarẽt: quo & Inno. lib. epi decr. tertio uſus eſt.

20 ¶ Decẽ illos dies a iure ad appellãdũ pſtitutos/ hi qui ſubinde hallucinãt ꝺcẽdiũ uocãt/ quaſi neſciãt poſt biduũ/ triduũ & q̃triduũ hãc loq̃ndi formã nõ ꝓgredi. Sed cũ facile poſſent decẽ dies/ aut fatales dies dicere ipſi tamen pro ſuo ingenio maluerũt errare.

21 ¶ Occupãt fere omnes libros ea uerba/ exẽplare teſta/

mētū/ & inſtrumēta/cęterū antiq illi q ſine labe lo/quebāt̃ exſcribere/ & deſcribere/ & exēplū ſumere di cebāt:ut q legerit facile apud probos autores depre/hēdet:neq;.n.minus hiſce uerbis eorꝝ reſpōſa ſunt re ferta:q̄ floribus ſoleat pratū uerno tempore.

22 ℭ Subit nūc in m ētē illud:qđ taȝ freq̄ns apud uos eſt/q̄ noctu ę apud athenas/obligari quēquam ad emēdam damni/quo mihi nihil magis nouū uiſum fuit:ut qđ ab emo tractū ſit:aliud q̄ emere noiet:qđ ſi tam intel lexiſſent q̄ legiſſent bonos libros/debet̃ quēquā reſar cire damnū dicerēt/ut eſt in uſu iuriſperitorꝝ.

23 ℭ Adde ēt/qđ pulcre dicūt/codicillari pōt:& codicillaris clauſula/a quo latinus abhorret ſermo: nōne iuſtius foret:ſi Martianū/Paulumq; imitati facere codicillos dicerēt;ut ipſi lib.dig.xxix.

24 ℭ Libet & īter cętera id referre q; eſt in ęre ueſtro. Da/tiuus tutor appellat̃. Ego uero nuſquam datiuū:ſed a iudice datū tutorē legi:pulcro elegātiq; uocabulo:ut magis clarū eſt/q̄ probaſſe oporteat.

24 ℭ Subſeq̃tur quaſi ouē ouis (ut aiūt) illud ēt:actioneȝ aliā natiuā/aliā datiuā:quod ſi hoc ita finget̃ illis ani mo erat. Cur nō magis dixere actionē aliā naſci:aliā dari:quāq̄ ſubtilis hęc interp̄tum differentia/nō iure mihi uideatur introducta. Sed hic locus hanc diſpu/tationē nō poſtulat.

26 ℭ Putat pſancte loq/q putatiuū filiū/aut putatiuū ſuū dixerit. Verū non minus hi homines ad ſe barbara trahūt uocabula:q̄ Cęcias nubes. Quapꝑter (niſi in eo luto hęrere qs uelit) ita poterit oſtēdiſſe:ſi dicat/fi liū opinabilē/aut ſeruum opinabilem.

27 ℭ Cippi/& Cippus/uocabula apud uos recepta/male ni mis ſapiūt:iccirco familia dicēdum eſſe/ſatis ſuperq; exploratum eſt.

28 ℭ Inter uos omnes cōuenit filiationē uere probari non

poſſe:atq nihil dicitis. Quid.n.notat illud uerbum filiatio? ergo ĩ poſterũ/ſi te pudet/planior ꝟbo utere.

29 ¶ Cum aliqd difficile apud uos fuerit:ſoletis/quaſi ad antidotũ/ita ad cautelas recurrere. Hic illam Bartoli ꝓbat:iſte illã Baldi:maximeq̃ laudat̃ Veronẽſis qdã: q cępas olet:ſed proh dii q̃ male ſẽtiũt q cautelas aut dicũt/aut ĩueniũt. Q̃d ſi rogabis/q̃ ꝟbo/q̃ue pacto id latine explicari poſſit:Reſpõdebo nullo modo magis ꝓprie/q̃ ſi dixeris:fraudẽ/machinationẽ/ fallaciã: dolũ malũ ad circũueniẽdos:atq̃ circũſcribẽdos homines:q̃bus mortales miſere implicati:labũtur ĩ p̃ceps: Cliẽtes uero rebus ſuis iiuſte exuti męſtiſſime plorãt.

30 ¶ Faſtidio & illud maxime q̃d ſępe ſcriptũ legi:hoc eſt a iure exorbitãs:nam (ut ueſtro utar uocabulo) nihil magis eſt a theſauro latinę linguę exorbitans:nec me multũ mouet:q̃ apud/ neſcio quẽ/põtificẽ hoc legit̃: cum hi ſępe Iſidorũ ſuũ ſequi:lõge magis implicẽt ſe q̃ mus in pice:ut gręci aiũt. Sed cũ exorbitãs dicitis: puto fortaſſe de eo uos ſentire:q̃d apud Iul. & Paulũ: lib.pri.dig.legit̃ ſub titulo de legib. in hęc ꝟba. Q̃d uero cõtra rationẽ iuris receptũ eſt:nõ eſt ꝓducendũ ad cõſeq̃ntias. Et rurſus. In his q̃ cõtra rationẽ iuris conſtituta ſunt/non poſſumus ſequi regulam iuris.

31 ¶ Scio doctis non placere etiam:cũ uos copulatiue/dicitis:nam coniunctim dicẽdum eſt ex Celſo & Paulo aut alio utendum eſt uocabulo/non tamen ſordido.

32 ¶ Offendit eruditas aures cũ/ ecõtra/dicũt:uerbũ q̃dẽ nõ ſine religione quadam a uobis obſeruatum. Sed indigne Mediuſfidius: una.n. ꝑpoſitio alterã regere nõ põt ex grãmaticorũ regula:quaꝑpter aut ↄtra: aut ecõtrario dicẽdũ eſt:nã q̃d interdũ apud iuriſcõſultos econtra legitur:id ex calcographi iniuria factum eſt.

33 ¶ Nemo ueſtrũ eſt/q nõ ſępe dixerit miles priuilegiatus; & dos priuilegiata;quiq̃ alio q̃ uis pacto ꝓferret;

reus eſſet capitis:ego uero hoc nõ ꝑtimeſco:q puram eloqutionẽ ſequt⁹ nihil magis curo. Didici ergo:pri/uilegiariũ dici:ea forma:qua ꝺpoſitarius/legatarius: & reliqua. Lege (ſi uerũ amas) Vulp.lib.dig.ii.ſub tit.de pact.lib.xiiii.ſub tit.q cũ eo. Necnõ lib. xlii. ſub tit.de priuil.cred.

34 ¶ Conſumare lectionẽ/conſumare bona/& cõſumarꝫ hereditatẽ dicitis:cũ cõſumere dicẽdũ ſit:nam cõſumare eſt perficere:ut in eo exẽplo, Omnia natura incipit: ars conſumat.

35 ¶ Nec extra Mercuriũ erit:ſi illud caſtigabo/ qꝺ in uſu ſcriptoꝝ eſt:Bon.poſſeſſio/litis agnoſcendę gr̃a:non .n.gratia agnoſcẽdę litis:ſ; ordinãdę/ea bonoꝝ poſ. impetrarꝫ/atqꝫ ita dicẽdũ eſt ex Vul..lib.dig.v.ſub ti. de inoff.teſt.Quod & ſi ad rẽ latinã nõ ꝑtineat/non tamen debet bonaꝝ literaꝝ ſtudioſis ingratum fore.

36 ¶ Exheredationẽ potẽtialẽ & ṕteritionẽ potẽtialẽ/ſępe dictitãt/ ueſtri cõmẽtarii:tam uberes/tam ingẽtes/cũ uero id ego animaduerterẽ/ſi eoꝝ mẽte; recte ꝑcepi: apud iuriſcõſultos/ita dictũ dephendi/poſſe exhere/dationi locu; eſſe uel preteritioni.

37 ¶ Supra cęteras aues illud quaſi Aquila uolat/ cui uos (ut pato) oĩu; ĩmũditiaꝝ regimẽ ꝺdiſtis/guarãtigiã uocatis/& ꝯtractũ/guarẽtigiatũ. Rotũdũ mehercule uerbũ/& pleno efferẽdũ ore/bullas facit/qd pulcrius? Sed (neqꝫ.n.quandoqꝫ nõ doleo) quo pacto miſere uobis ipſis impoſturã facitis. Qui tãto magis ea pul/cra creditis/q̃to magis ſunt ſordida.

38 ¶ Quo pacto excludat caſus ſimiles taxatiua dictio uos diſputatis:hęc q̃ſtio/uobis relinquarꝫ/ego tm̃ id q̃ro: an recte taxatiua dictio / dici poſſit. Certoqꝫ certius eſt/non ſane ita uocari/malim qdẽ cũ Clemẽte libro ſui operis quinto / reſtrictiuam dictionem appel/lare / tametſi & illud /uti nouum/non ſatis placeat.

39 ¶ Quũ Accurſiũ ueſtrũ allegatis/q tam belle ſuccurrit iuris tenebris/ gloſam dicitis/hi uero q pure loquunt gloſſam/uel gloſſema/uel gloſſatorē uocant: a bobus lingua tracto uocabulo nō dorum/ſed comuni more.

40 ¶ Plena ſunt ueſtrorũ interp̃tũ cōmētaria/his uerbis: neceſſitatē aliā p̃ciſam/aliā cauſatiuā eſſe/ in quibus quaſi nouus Suffenus/ſibi qſq́ eorũ ſtulte placet. Qđ ſi ad ſolem reſpicere uoluerint: quā cauſatiuā uocant cōditionalē/ideſt hypotheticā dicēt/alterā uero abſolutā:/licet & illud defendi poſſit. Sed hoc pulcrius.

41 ¶ Referendũ eſt & illud in hoc albũ/ qđ nō minus caſtigatione eget/īterēſſe cōuētũ: & ad intereſſe quēquā teneri qs ueſtrũ nō dixit! ab infinito tempore compoſito nomine. De quo maxime miror:cũ in locis nō parũ multis pſpicue legeritis:obligari hominē in id qđ intereſt/aut quatenus interſit/ q̃ uerba latina ſunt: cum ea ſint barbara.

42 ¶ Elegāter ſe dixiſſe putat:cum qs actionē realē uocauerit/inuſitate quidē. Rectius ergo fecerit/ſi actionē in rē dixerit. Prout millies/ne plus dicā/apud iuriſc. legitur.

43 ¶ Aliud eſſe nobile officiũ aliud mercēnariũ nō ſemel apud uos legi:quid uero illud ſibi plane uelit:adhuc dubito:niſi fortaſſe illud officiũ mercennarii more ex opera ſua/mercedē mereat. Qđ ſiquo pacto nouandũ erat/cur nō potius officiũ actioni ſeruiēs dixiſtis!

44 ¶ Deportari quaſi mōſtrum in inſulā deberet/ id q́ eſt apud uos in honore. Pedagiũ ſolui. Qđ uerbũ neſcio cuius iniuria in Italiā delatũ fuit/nihil qđē impurius/nihil magis ſordidũ. O q̃ ſtudet hoc didiciſſe qui primũ ſacris legibus initiatus/illud aut audiuit: aut legit:neq́ tñ ſatis in ellexit:putans uel ex eo ſolo ſe doctiſſimũ fore:q̃ rurſus ſtudet (utcunq́ fuerit in diſcipulorũ corona) illud uel extra Bacchũ p̃ferre: quaſi

quaſi cupreſſuʒ ſimulare ſciat: cū tn̄ magis/more the
miſtoclis/q̄ eo q̄rēda eſſet obliuio/cęte℞ ſi qſquā la/
tine/aut caſte loq deſiderat/ ſciat optimos iuriſcōſul
tos ſub nomine uectigalis appellare.

45 ℭ Succedit illud Chimera deformius/ſuperiori tamen
proximū. Guidagiū dicūt. Quid ſibi uelit nollē ego
intelligere/id tm̄ ſcio: ꝯtractā Cani cutē trāſtiberinā:
ul' ab amoꝛ Hircū recētē/aut Leōis ora ñ tā male oleꝛ.

46 ℭ Ledit grāmatico℞ ſtructuras/ueſtra ꝟbo℞ cōceptio:
cū dicitis pater filio fideicōmiſit/ut partē hereditatis
reſtitueret: nō.n.filio/ſʒ filii fideicōmiſit/ut oratio re
ſoluaꝛ cōmiſit fidei filii/q̄ modo ſemp iuriſc.utunꝛ.

47 ℭ Nō pauci ēt dicūt litē ꝑpetuari/uel actionē ꝑpetuari
quaſi nullo alio modo id q̄ant explicare/ex q̊ maxime
infantiā ꝓſeferūt. Facile igiꝛ fuerat/litē uel actionē
fieri ꝑpetuā diceꝛ/cōi q̄dē modo/niſi forſan eo mori
eſtis greco℞ adagio: τὰ μὲν κοινὰ καινῶσ, τὰ δὲ
καινὰ κοινῶσ. Nec enim potui nō gręce proferre:
tametſi tecum loquerer.

48 ℭ Nōnulli q̄ſtiones ponūt/an dn̄s teneaꝛ ꝺ robaria in
ſuis ꝑdiis facta. Tu recte cenſeas/an honeſto uoca/
bulo robariā/pro latrocinio dixerint.

49 ℭ De ſimultaneo cōſenſu/ nō pauca ꝟba apud ueſtros
cōmētarios legi. Ve℞ (ut ingenue fatear) nō ſatis
uos intelligo/q a cōiūcto/adiectionē cōponitis. Naʒ
omne id ſatis p cōſenſuʒ explicari puto.

50 ℭ Quā pulcre/q̄ docte aliud ꝓfertis. Petium terre dici
tis/ꝓ fundo/uel parte fundi. Qꝺ ꝟbuʒ (niſi longe
fallor) tam canes q̄ homines intellecturi ſunt.

51 ℭ Ve℞ inter cętera/illud magis eſt animaduerſione di
gnū/ꝙ bonā fidē dicturi/dolū dicitis/exēpli loco/&
ꝓ Lucretia/Meſſalinā ꝓnūciatis. Quis ueſtrū nō di/
xit. Ticius inculpatus de maleficio. Cū inculpatus is
latine dicaꝛ q nullā culpam habet. Sicut in ꝯtrario.

illaudatus/is q̄ nullã laudẽ/ut in eo Verg.uerſu. Aut illaudati neſcit Buſiridis iras.

42 ℭ Male ẽt/ad inuicẽ plerũq dicitis/cũ (ut ſupra dictũ eſt) ꝑpoſitio prepoſitionẽ nõ regat.

43 ℭ Mãſuz/uel mãſus (adhuc.n.neſcio cuius generis) cũ a uobis dicit̃/a me nõ itelligit̃. Verũ illud plane intelligo/eũ q̄ id ꝟbũ ꝓtulerit/ligue latine ñ ẽe a ſecretis.

54 ℭ Bartholus (quẽ/ut ex diis maioꝝ gẽtiũ colitis) hoc ꝟbo ſepe uſus ẽ in ſuis cõmẽtariis. Ligas uocat/ qđ qdẽ ñ poſſuz nõ mirari. Cũ apud iuriſc. ẽt/ſepiſſime dephẽdi fœdera uocari. Vnde nõ poſſuz niſi illud credere/hos homines/omni ope/omni cõſilio id agere ut latine lingue decor deuenuſtet̃.

44 ℭ Aliud ab alio cauſari dicitis/utputa actionẽ ab obligatione/inepte qdẽ/& inuenuſte: naz q̄ ſordide loq ꝑtimeſcit/is aliud ab alio ꝑduci dicet. Nam cauſari his qui pure loqunt̃. Cauſaz dicere/& cõfingere ſignificat. Vt apud iuriſconſ.non ſemel.

46 ℭ Nobile ꝑfecto illud mihi uiſuz eſt. Cũ uos ſepe dicitis. Reſpõdet text⁹ q sic.aut dico q sic.ut ꝑ affirmãte dictionẽ ſimilitudinis ponatis. Ceterũ purius eſſet p ꝟbũ reſpõdere. Aut ſi q̃ris laſon particulã negãti cõtrariã/ſcias. Etiã/dici poſſe.quo ꝟbo iuriſc.uſus eſt. ſub tit.de uerb.oblig.in primis fere uerbis licet a uobis id minime cognoſcat̃. Eodẽ Cicero in partitionibus aperte etiam uſus eſt.

47 ℭ Queritis in tractatu ſuitutũ. Vrbana an ruſtica ſeruit⁹ ſit capanna/ſed ꝓh pudor. q̄ ꝟgoruz illuuies! que inſiditia! Nõne facile uobis tuguriola/aut caſas appelare! quẽadmodũ & noſter Vergilius ĩ Corydone. Atq humiles habitare caſas/& figere ceruos.

48 ℭ Cõcluſiones ponitis/inde correlaria eruitis/ego qdẽ apud optimos autores cõcluſionẽ inueni/correlariuz ꝟo nuſq̃. Quapꝑter nõ poſſum mihi ꝑſuadere illud

ñ barbaꝝ ẽe eoq; magis ꝙ apud iuriſperitos dephẽdi:
ꝙ a uobis correlariũ dicit ab illis cõſeqñs nũcupari.
Quapp̃ter r̃pudiato barbaro uocabulo/latinũ illud
ſumẽdum eſt.

59 ℭ Eſt & in horreo ueſtro aliud/ꝙ doctis nõ facit ſatis
comitatẽſes appellatis/nouo qdem & inuſitato uo/
cabulo/iccirco q̃rẽdũ ẽ aliqđ/qđ ad rem magis faciat
& a deliciis Romani ſermonis nõ abhorreat.

60 ℭ Veꝝ/ſi placet/audi: & ride Quid q̃ſo eſt Allodiũ/qđ
nup legerã: Theſiphonis an Megerę uerbũ? Ego qdẽ
nõ poſſũ; nõ ridere/cũ; uideã id qđ pleno iure ad ali
quẽ ſpectat/uos Allodiũ uocare. Sed ego Democriti
more. Nã ꝯtra Heraclitus/hãc hominũ miſeriã/dies
oẽs/nocteſq; cũctas defleret.

61 ℭ Hęc ẽ copia teſtamẽti/uel ꝯtract⁹/pleriq; oẽs uos di
cere ꝯſueſtis. Hi ꝟo q ea fugiũt q̃ ſunt ſordida exem
plũ dicũt: naꝫ copia apud eruditos id ſignificatꝙ con
trariũ ẽ inopię/ꝙ.n.apud iuriſc.lib.dig.xlii.ſub tit.
de bon.auc.iud. Copia legit/mẽdoſũ; ẽ. In pãdectis
.n.gręce ſcriptum eſt αρχαγραφηρ. Quod uerbũ ab
indocto q̃piã ita latinã interpretationem habuit.

62 ℭ Crebra eſt apud uos hęc loqutio Pamphila filiũ par
turit. In q̃ uerbo miſere lapſi eſtis. Aliud enim parere
aliud parturire notat. Illa.n.parit quę partũ edit/illa
parturit/q̃ ad pariẽdũ tãtũm ſeipſam exhibet. Vnũ;
actũ/aliud deſideriũ mõſtrat/parit q eſt in partu/par
turit quę eſt ante partum.

63 ℭ Longe maximeq; mihi diſplicet ꝙ legi/iſto interim.
quaſi/interiꝫ/ſubſtãtiuũ ſit/ꝙ adiectionẽ illã patiat.
Dicẽdũ ergo interiꝫ erat: nullo adiecto uerbo. Veruꝫ
hi homines plerũq; ꝟba numeroſe cumulãt/ubi ſim/
plicia eſſe debent/ubi uero poſtulari exploratũ eſt/ibi
eoꝝ culpa deſiderantur.

64 ℭ Atq obſecro/q̃ truffa eſt/qñ in cuiuſpiã cõtẽptũ di/

ctis. Truffa eſt. Quod uerbum (ſi modo æquã iu/
dicii habeo) uidetur mihi e latrina ſumptum/aut
quouis loco ſordido/& tñ apud uos late patet.
64 ¶ Nec ab re illud ſubiũgemus/male perperãq; uos di/
cere/ſecũdũ poſſibilitatẽ/uel ultra poſſibilitatẽ. Id.n.
uerbũ nec Romanũ nec Latinũ eſt. Et (ut multa di/
xeri) nec Sabinũ. Illud ẽt (qñquidẽ locus poſtulat)
nõ p̃teribo/ea uerba/poſſibile/& ĩpoſſibile/apud iu
riſcõ. uſitatiſſima/at nuſquã apud Ciceronẽ priſcoſue
illos reperiri: Cicero enim in hac re Græco uerbo:
ἀδύνατον: ſępe uocauit/quo & iuriſcõſ. ſemel uſus
eſt: lib. dig. xxxviii. ſub tit de cond. inſt. in hęc uerba
Quia ἀδύνατη cõditio pro non ſcripta accipiẽda
eſt: licet i uulgatis codicib9 ea uerba aliter circũferãt.
66 ¶ Quid rurſus: nõne & podere: & foſſata: & podium:
& beſtialitas/& bladũ dicit. Vocabula q̃dẽ de ple/
bis fece ſumpta. Nam quid aliud eſt hoc modo loq;
q̃ cum ſutoribus/& gerulis uerba hr̃e? Iccirco aut lo/
quẽdũ latine eſt/aut nõ loq̃ndũ. Eu enim qui multa
recteq; loqutus fuerit exornat latinus ſermo: eu uero
q̃ pauca p̃peramq;/deturpat atq; incęſtat. Non ſecus
quã de teſtudinis carne a Gręcis dici ſolet. aut enim
comedẽdũ eſt de carne teſtudinis/aut nihil comedẽdũ
quo pacto/& in eorũ cõuiuiis lex ſcripta eſt. Aut bi/
baat/inquit/aut abeat. Non enim ita ſordidũ eſt la/
tinę lingue ſacrariũ/ut patiat̃ quemq̃/illotis pedibus
& impura manu temere ingredi. Adde & centies cen
tena/& millies millena alia/quę uix ego numerem: ſi
mihi ſint ora centũ. Satis tñ egero: ſi ex his monitus
fueris. Barbara nimis/& impolita uobis ẽe uocabula.
Iccirco/funes paulũ contraham9: ne/ut dr̃/uidear la/
rom ſerere. Nam hiis ſolis/neq; aliis cõdimentis ani
mum refouere/mihi magis eſt faſtidio q̃ uoluptati.
Quid enim aliud agimus: q̃ crãbem/ut aiunt/repe
tere? Miror

tere? Miror ēt quo pacto nihil te hoꝝ tędet. Optimā enī ſplēdidiſſimaq; īgenia nō parū offendit/ſi ſemꝑ Curios & Licinios (ut dicebat Cicero) loquantur. IAS. Immo placet Politiane/ut de his diſſeramus. Nā & locꝰ/& res ipſa poſtulat. Anteq̄ tñ ꝓſequaris quęſo audias. Reprehēdis enī nimiū ſeuere quidem noſtros cōmētarios. Quaſi tertius e coelo cato ceciderís. Nam ſi recte nobiſcu ſapies eoꝝ defenſio non erit obſcura. Neq; in hoſtio (quod dici ſolet) hęrbā tibi cogēt dare. Multa enim quaſi nō latina uelicas. Quę tñ uel apud ſummos pōtifices/uel apud imperatorē in auctētico opere:uel ſaltē apud feudoꝝ uſus deprehēdunt. Vnde tibi nullus locus/ nullus mucro defenſioni relinqtur. Inique enī ea reprehendis quæ ſummi illi homines ꝓbauerunt. Rurſus/ſi quępiā ex his q̄ dixiſti hoc clypeo nō tegūtur:d̄bebas illud meminiſſe/licere unicuiq; ſibi uocabula fingere:ut ſummus ille philoſophorum Ariſtoteles plane edocuit. Quod & Horatius tuus/cuius fidei detrahere nullo modo potes/perſpicue oſtēdit. Habet enī (ut dicit) quęlibet ſciētia proprios ſuos terminos/ & uocabula propria. Quod optima ratione īntroductū eſt. Neq; enī oportet ita nos emunctę loqui. Na (ut ille dicebat) indoctius mihi loquere/& apertius. Meminī me ſemel apud Picū tuū/quē Phęnicē qnq; appellas: in philoſophoꝝ defenſiōe legiſſe:ꝙ Anacharſis apud Athenięſes ſolęciſmum facit: Athenięſes uero apud Scythas. Iccirco uos ēt q Ciceronē ſequti/nihil magis diligitis/apud nos ſolęciſmū facitis: non mirum ergo ſi nos ēt barbaros uocatis. S qd hoc ad te Politiane? Nos inter nos loqmur: Alter alter alterū plane intelligit. Atq; id tm̄ curamus:ut iudices mouere:ut aduocatoꝝ argumenta refellere:ut diſcipulis placere poſſimus. Nō enī magis uerba/q̄ ſubſtātia/ & rem

ipſaꝫ q̄rimꝰ. Abhorret eniꝫ ius nſuꝫ ab omnibꝰ uer boꝝ lenocinijs. Et (ut idē Picꝰ dixerat). Marmorea domus nō eget pictura. Atq; illud exploratū eſt. Bo/nas formas Ceruſſa deuenuſtari. Ea ꝓpter ſatis egeris Politiane/ſi inter tuos eris cōſpicuus/ſi inter huma/nioꝝ literaꝝ ꝓfeſſores ſummū locū habebis. Nobis etiā ſatis fuerit:ſi legū/ſi iuris/atq; eqtatis periti di/cemur. Neq; uelis queſo alienā (ꝙ dici ſolet) ſecare meſſem. Dum q; miſere inuertis leges noſtras iuris te ſtudioſuꝫ p̄dicare:non eniꝫ debet tibi illud ignotū ēe: has fruges ad te nō ptinere. Meminiſti fortaſſe etiaꝫ (ꝙ tñ inuitus referaꝫ) cum ſemel oēs leges te recte intellectuꝝ gloriole p̄dicares. Interrogante Sozino: nunqd ſi ab ipſo (eraꝫ.n.p̄ſens) īſtituerer:dici ſuus heres poſſem. Reſpōdiſti me ſuū heredē fore:errore qdē nō minꝰ pudēdo/q̄ manifeſto. Nā tm̄ primo/ribus (ut aiūt) labiis: qs naꝫ eſſet ſuus heres degu/ſtaueras. Iccirco cōtine te intra tuū p̄ſepe Politiane: & iuris ſtudioſos relinque. Nos intra noſtrū larē ſta/bimus. POL. O reꝫ lepidā me hercule/& iocoſaꝫ. Nā cū nuꝑ tā latine/taꝫ Romane loq:tua illa cōmentaria adfirmares:nunc re ſecus cōperta (qñquidē alia uia effugeꝛ nō potes Palinodiā (ut ille Steſichorꝰ) recan tas:atq; ad has ineptias/quaſi ad reſtim/ut aiunt/mi/ſerrime cōfugiſti. Itaq; pulcerrime in re iſta es ꝑuari catus. Quod ſi hoc modo clientum cauſas agis:non mirū qdē ſi tā magnū diuitiaꝝ cumulū cōgeſſiſti:naꝫ hoc nihil aliud eſt q̄ dum ſemel has/ſemel illas partes ſeq̄ris/utraſq; eludere. Quāto cādidius fuerat errata ſua ingenue ꝓfiteri:quā uelle lutū (ut dici ſolet) luto purgare/atq; ea mihi ꝑ nebulā oſtēdeꝛ/q̄ uix Cumani credituri ſunt. Nā quid mihi primū Pōtifices/obie/ciſti/nō ſecus q̄ ſi ď Apellis tabula iudicaturꝰ Phineū adeas:aut ſi ď lune eclypſi Cerdonē interroges? Quid

enī; cōe iſtis cū theſauro latinę linguę? Illi .n. Iſidorū ſuū (que; Deū putāt) ſequti: multa delire ꝑperamq; cum eo dixere. Nam is fuit ex eoꝝ genere/qui cum uoluit omnia ſcire/nihil ſciuit. Quoꝝ ego ſi errata uelī; detegerē: optē mihi Cornicis/aut Cerui ſenectā oportet. Rurſus ꝗd auctēticū opus opponis? quaſi neſcias nihil apud uos turpius/nihil īmūdius ēe. Cū enim græce ab imꝑatore id relictum fuerit/ſermone ꝗdē ñ pudēdo: a Sciolo quodā (ut latinis opereptiū faceret) tranſlatū magis: an diſcerptū fuerit neſcio. Nam ego de me illud in eo opere ingenue fateor: nō intelligere plerūq;/ubi nomen/ubi uerbū/ubi ſenſus ſit. Veꝝ ea res noſtrā opera; qñq; expectat. Quod (niſi lōge fallor) ingratū ſtudioſis nō eſt futurum. Addis & feudoꝝ uſus. Proh rem pudēdā. Cur & uos ipſos nō addebas ēt? Quid .n. inter uos & illos inte/reſt? Nec ſecus agis quā ſi hominē a furti actione de fenſurus: dicas ſociu; fuiſſe Verris/ nam quo magis excuſare uelis tāto magis turpitudinē: atq; oēm fętorem detegis. Vide q̊ pacto Iaſon nihil uos iuuet ꝙ primo loco dicebas: quaſi teſtes habueris improbatæ fidei. Addis ēt licere cuiq; pro arbitrio uocabula fingere: Ariſtotelis/Flacciq; teſtimonio. Quoꝝ tu ꝟba ſi tam bene intellexiſſes/q̄ ꝓfecto male intellexiſti: aut mecū certe ſentires/aut ſaltem īmūditias ueſtras: nō tā ꝑtinaci ore defenderes. Nūquid ergo/ſubſtitutionē/aut legatū dicturi/liceat uobis alterū lapidem: alterū lignū uocarī: aut q̊ alio nomine magis barbaro? Nōne hoc ſumme offendit iuriſcōſ. ueſtros: ꝗ docent oportere ſeruari uocabuloꝝ ꝓprietates? Quaꝓpter licet fingere nomina/ſi ꝓpria/atq; uſitata deſint: atq; eo tm̄ modo/ſi quę fingunt Grꝗco fonte cadāt/ut dixit idē Flaccus. S; utrū uobis deſint/ꝓpria uocabula: tu recte dignoſce ſi ſapis/qui pulcra iuriſcōſultorum

reſpõſa legiſti:niſi fortaſſe illud dixeris/deficere pro/pria uocabula/ex quo barbara deficiunt. Itaq; habet terminos ſuos iuris diſciplina / a iuriſconſultis tra/ditos:ab illis inq̃ iuriſcõſ. q reſpõdẽdi autoritatem a Cęſare cõceſſa; habẽt/ quoꝝ fidẽ quo pacto qſquam ueſtrũ poteſt eludere? Niſi (ut fortaſſe nõ male co/gito) maiores uos illis/atq; lõge doctiores eſſe pu/tatis:q; belle qde; factũ eſt. Iccirco uide quo te ducat ueritas Iaſon/quę qm̃ filia eſt tẽporis diu latere non poteſt. Nõ ergo loqtur qſquã ueſtrum indoctius/ & apertius/ſed indoctius & obſcurius. In quo uel illud ſit maximũ argumẽtũ nõ intelligere plerũq; doctos homines/qd ueſtra poſtulẽt ꝟba:qui/ ſi docte loque/remini/plane atq; expedite uos intelligerẽt. Itaq; cu; hi tui interp̃tes:erudite/ & aperte loq poſſint:malunt qdẽ inerudite/ & obſcure/nõ loqui dicam/ſed obloq. Dixiſti etia; uos inter uos loqui:atq; utinam ita eſſet ut nemo uos unq̃ audiret. Minus.n.ueſtra hęc barba/ries in noua adhuc:iuuẽnũ ora ſerperet. Lõgeq; mi/nus latino decori officeret. Verũ hic maxime miror. Nõ putare te/uos admodũ delinqre/uel ĩpure aliqd dicere/ob id q; inter uos loqui eſtis/quaſi ſupercilium hoc ueſtrũ maieſtatẽ ſermoni prębeat. Quid rurſus eſt q; dicis abhorrere ius ciuile a ꝟborum lęnociniis? quaſi neſcias magis abhorrere illud a ꝟboꝝ ſordibꝰ. Quid inqs/uos magis rẽ ipſam/q̃ ꝟba introſpicere? An ignoras:uerba eſſe notas/animi: qđ & iuriſcon/ſultus edocuit. Nõne audiſti q; ex doctoꝝ ſententia pulcre dici ſolet. Nec ꝟba robur habebũt.ſi rem ſub/traxeris:nec res fidem ſi ꝟba ſubmouebis. Nõ eget pictura (inqt Picus noſter) marmorea domꝰ. Veꝝ nõ dixit/oportere eius atria diuelli/ueſtibulũ demo/liri/diętas corrũpi/ſigilla ꝺponi/emblemata ꝯfringi. Addit/bonas formas ceruſſa deuenuſtari:ueꝝ magis

deuenuſtari

deuenuſtari ſolēt: ſi notę inurātur/ ſi ſuggillationes ſi/
uibices appareant. Vos ergo nō tam nō pingitis/ q̄
corrūpitis. Nō eſt hoc ueſtrū nō ornare: ſed faciem
deturpar̄. Ex quo maxime iniuriarꝝ actione deuincti
eſtis. Dixiſti poſtmodū Iaſon has fruges ad me nō
pertinere/ & quaſi cēſor monuiſti me ut ab his abſti/
nerē: uerū (da ueniā ſi nimis offendero) ſi nō ſecus
iuris omnem cōtrouerſiā pcēſes/ q̄ nuper hoc pcēſue
ris/ nō dubitabo in multorꝝ ire ſententiā: te ſolum in
cōgerēdis aliorꝝ cōmētariis nō nihil poſſe/ in cęteris
nō ſatis: an nunq̄ audiuiſti ſciētiarꝝ illū orbē: quem
enciclopediā gręci uocāt? An neſcis alterā ſine alte/
rius diſciplinę auxilio inanē eſſe? Quod ſi nos uocū:
& ꝟborꝝ ꝓprietatē ſectamur: qd/ p iouē/ q̄d magis cō
ferat lectitare poſſumꝰ/ q̄ iuriſconſultos: q ſuper ea re
tractatus integros pſcripſerūt? Cur q̄ſo magis ſunt in
ęre tuo/ q̄ in nr̄o iuriſcōſ. reſpōſa? Immo tāto magis
in meo ſunt mancipio q̄to ego magis eorꝝ ꝟba ue/
nerari ſoleo. Ergo conſule iuſtius an hę meſſes ad me
pertineant Iaſon. Poſtremo (ut a carceribus uſq; ad
metā tua omnia repetā) dixiſti (quaſi a Politiano
ruborē peteres) errāſſe me olim quęrēte Sozino nr̄o
ſup ꝟbo/ ſuus hęres. Verum miror Iaſon quo pacto
hodie uix bene cōſiſtas. Primū. n. dixiſti me non de/
bere iuriſcōſultos legere/ atq; eorum ſacra ptractare.
Poſtmodū (neq; adhuc ad extranea trāſiens) dānaſti
me/ qꝫ ꝟbū quoddā iuriſcōſultis dūtaxat cognitū/ nō
ſecūdū ipſos/ ſed ſecūdū nos: atq; humaniorꝝ literarꝝ
ꝓfeſſores enarrauerī. Morē geſſi tibi Iaſon: expoſui
ut ſolemus/ nō ut iuriſcōſulti ſolēt: iccirco ñ putabam
ex his q̄ tua gratia fiunt/ a te tam male dānari. Sed
in poſterū me monuiſti/ ut ſi a te laudari uelī ñ ea fa
ciā q̄ ſunt tibi grata. Adde etiā qꝫ ea res aliam habet
excuſationē. Diſputabā. n. cū Bartholomeo Sozino:

homine omniū eruditiſſimo : & ut plane dixerim iu/
riſcōſultorum Homero. Cuius argumenta, rationes :
ſilogiſmos : cū tu plerūq; ſufferre nō potueris . Cur
me accuſas uię eloquentię magis q̄ legibus addictū ?
Qđ ſi ea q̄ſtio tecū cōcepta fuiſſet : non ita forſan in
prima harena lapſus forē. Verū ingenui fuit, pudoris
(ut Plinius noſter inq̄t) fateri p̄ quē pfecerim. Qđ
an tu q̄q; in tuis cōmētariis obfuces, ego plane neſcio:
tāetſi nō nihil rumoris ad aures nr̄as uenerit . Icc irco
uide quonā modo hi ueſtri interpretes ꝯfendi poſſint:
cognoſce ēt an tu ſatis iuſte me ipſuz accuſaueris : an
ego recte defenderiz . atq; ita tecū ꝯſiſte: nā Ciceronē
Bacchū nolo adorare . Sed cū ad Laurētiū Mediceꝫ :
alterū eruditorū Mecenatem, acceſſurus ſim : te nūc re/
linquaꝫ . Tu cęnā p̄gas: uenter enim nō optat ferias .
IAS . Ita , ut placet abeas . Ego domū ibo .

τελοσ.

## ❡ CLAVDIVS PTOLEMAEVS LECTORI SVO.

LEGISTI / Vt puto / bone lector libelluʒ
hũc noſtrũ: & quaſi nugas meras irriſiſti.
Ob id fortaſſe ꝙ ea ꝑtractaueriʒ q̃ nullo
ſint digna cedro. Verum (ſi modo ma/
tutina nõ ueniſti frõte) audi q̃ſo. Non
poſſum ego nõ fateri rudia hęc eſſe/ & impolita/ & q̃
ab erudito homine nõ ſint legẽda. Sed nõ protinus
è nido auis ut primũ exierit: ſummũ petit cœlũ: ueꝝ
initio alis non dũ cõfidẽs/ in ꝓpinquiores euolat ar
bores/ quoad paulatiʒ ſecurius cœlũ ſecãs: nullũ perti
meſcit uolatũ/ iccirco ab homine nouo/ q̄d niſi tenue
expectãdũ erat! Sed & tenuia legẽda ſunt. Nam (ut
in prouerbio eſt) ẽt capillus unus ſuã umbrã habet.
Nec ea ſunt (ſi modo q̄s recte ſentiat) omni riſu di
gna: nam & Homerus naturę cõſcius Batrachomyo/
machiam inſcripſit: Vale.

# VIUAT SEMPER.



Cum gratia ⁊ priuilegio.

A

C

R

M

C

T

Pr

I